

Nf. 24.

71

ACADEMIÆ FRIDERICIANÆ
PRORECTOR,
**CHRISTIANUS BENE-
DICTUS MICHAELIS.**

PHILOSOPHIÆ PROFESSOR ORDINAR.
UNA CUM DIRECTORE, CANCELLARIO
ET PROFESSORIBUS RELIQUIS,
CIVIBUS ACADEMICIS

PIAM FESTI PENTECOSTES CELEBRATIONEM SE-
RIO ET QUAM HUMANISSIME COMMENDAT.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,
Typis JOH. CHRISTIAN. HILLIGERI, Acad. Typ.

br.



PIRITUM SANCTUM non esse aliquod Dei attributum, sed pecularem, & quidem tertiam, divinitatis hypostasim, e pandectis scripturarum sacris est evidentissimum. Id quod cum in novi fœderis libris agnoscant, & de iis confiteantur, omnes, quotquot cum Socinianis, manifestis sacri textus tortoribus, sanioris, & communis quoque, hermeneuticæ regulis posthabitis, ipsum rationis usum in interpretatione non exuunt: idem dogma quam copiose & luculenter etiam in veteris testamenti codice traditum sit, quam fieri poterit brevissime, non tam edifferemus, quam indice quasi digito tantum ostendemus, piæ meditationis materia per dies hosce festos eo uberiori hac ratione subministrata.

Sic Num. XI, 25. 29. *Spiritus Sanctus*, doni prophetici auctor, a *Jehova*, Deo filio, qui ipsum, in columna nubis & ignis, symbolo ac vehiculo suo singulari, descendens impertivit, distinguitur. Deum vero Patrem in hoc loco non excludi, per se notum est.

Jud. VI, 34. *Spiritus Jehovæ*, a *Jehova*, & in contextu

ab *Angelo Jehovæ*, divino nomine divinisque attributis insignito, h. e. a Filio Dei, distinctus, dicitur Gideonem ita induisse, ut ad opera plane heroica ipsum instruxerit. Et eadem est ratio loci c. XIII, 13, 25. de *Spiritu* Schimschonem ad officium iudicis extraordinarii animante; qui itidem a *Jehova* & ejus *Angelo*, iisdem characteribus insignito, diversus est.

2 Sam. XXIII, 2, 3. *Spiritus Jehovæ*, uti a *Jehova*, Deo *Patre*, sic etiam a *Petra Israelis*, h. e. a Messia (uti loca parallela cum re ipsa indicant) diversus, locutus esse dicitur in Davide & per ipsum, tanquam prophetiarum auctor.

Job. XXXIII, 4. *Spiritus Dei*, qui uti hic & in contextu a *Deo Patre*, sic etiam v. 23, 24. a *Deo Filio*, tanquam *Angelo interprete & intercessore*, distinguitur, ut humani generis creator est descriptus.

Psal. XXXIII, 6. Quemadmodum *Verbum Jehovæ* *יְהוָה שָׁמַע*, h. e. Filium Dei, hic intelligi, manifestum est ex Io. I, 1. seqq. sic eo minus dubitari potest, nomine *Spiritus* notari Spiritum Sanctum, quo evidentius huic Gen. I, 2. opus creationis in massæ mundanæ fecundatione adscribitur.

Psal. XLV, 8. vocibus *oleo lætitiæ* metaphoricis intelligi *Spiritum Sanctum*, facile liquet e locis illis, ubi *Spiritus Domini super Messia quiescere*, ipseque *Messias eo unctus* esse dicitur, ab unctione hac nomen habens. Dan. IX, 25, 26. Psalm. II, 2, 6. coll. Jo. I, 42. Conf. Luc. IV, 18, 21. Act. X, 38. Jo. III, 34. Jam vero hic ipse *Messias Deus*, a Deo, nempe *Patre*, unctus dicitur *Spiritu Sancto*, sacrosanctæ Trinitatis mysterio in unitate divinæ essentiae sic satis evidenter insinuat.

Jes. IV, 1. seqq. in promissione de *Germine Jehovæ*, i. e. de Messia, *Jehova* dicitur sordes filiarum Zionis lavare per *Spiritum iudicii*, h. e. *Spiritum* & ab officio suo didascalico & elenctico sic vocatum,

Jes.

Jes. XI. *Spiritus Jehovæ*, Dei Patris, ea est divinitatis hypostasis, quæ super *virga de trunco Isai*, h. e. super *Messia*, quiescit.

Jes. XXXII, 1. seqq. *Spiritus Sancti* effusio promittitur a *Jehova*, Deo Patre, de rege ad iustitiam regnatura, h. e. de *Messia*, loquente.

Jes. XL, 13. *Spiritus Jehovæ* distinguitur uti a *Jehova*, Deo Patre, sic etiam v. 2, 3, 5. a *Jehova*, Deo *Filio*, cui adventuro via complanari debet.

Jes. XLII, 1. seqq. *Spiritus Jehovæ* dicitur a *Jehova* datus super *Messiam Jehovæ*, in quo anima ejus acquiescit.

Jes. XLIV, 1. seqq. *Spiritus Sanctus*, seu *Spiritus Jehovæ*, dicitur effundi a *Jehova*, *Messia*, *factore*, & *formatore Israelis*.

Jes. XLVIII, 16. *Spiritus Sanctus* ea est divinitatis hypostasis, quæ cum *Patre*, *Jehova*, *Messiam* *Jehovam*, in contextu isto loquentem, mittit.

Jes. LIX, 12, 20. *Spiritus Jehovæ*, Dei Patris, dicitur super *Messia*, *Zionis redemptore*, quiescere. Idem perhibetur c. LXI, 1. seqq.

Jes. LX, 9. seqq. *Spiritus Sanctus* is est, adversus quem & *Angelum Jehovæ*, *Angelum faciei ejus*, h. e. *Messiam*, *Israelitæ* in deserto rebellant, ideo severius a Deo castigari.

Joel II, 13. III. I. *Spiritus Jehovæ* dicitur effundendus super universum genus humanum a *Jehova*, Deo Patre, *Israelii Doctorem suum*, h. e. *Messiam*, daturus.

Hagg. II, 4. seqq. *Jehova*, *Messiam*, tanquam *desiderium omnium gentium*, in gloriam templi secundi plane singularem, missurus, dicit: *Spiritus meus in medio vestri: ne (ergo) timeate*.

Zach. IV, 6. *Jehova* promittit, se per *Spiritum suum* istud, quod intenderat, opus velle perficere. Et hoc est, quod ibi-

dem *Angelus Jehovæ*, in integro contextu divinis characteribus insignitus, h. e. Messias, Zachariæ revelavit.

Zach. XII, 8, II. *Spiritus Sanctus* dicitur effundendus a *Jehovæ*, Dei Patris, *Angelo*, qui a *Jehovæ* distinctus ut *Deus* describitur; utpote in suo ad iudicium adventu videndus, tanquam is, qui olim a gente Judaica fuerit transfossus. Conf. Jo. XX, 37. Apoc. I, 7.


Ceterum huc pertinent loca illa quamplurima, in quibus *Spiritus Sancti* ita fit mentio, ut additum nomen *Dei*, vel *Domini*, referatur ad alterutram reliquarum duarum hypostasium, aut ad utramque. Vide Gen. VI, 3, XLI. 38. Exod. XXXI, 3. XXXV, 31. Nam. XIV, 24. XXIV, 2. XXVII, 18. Job. XXXII, 8. XXXIII, 4. Jud. III, 10. VI, 34. 1 Sam. X, 6. 10. XVI, 13, 14. XIX, 20, 23. 1 Reg. XVIII, 12. XXI, 24. 2. Reg. II, 16. 2 Chron. XVI, 1. seqq. XX, 14. XXIV, 20. Neh. IX, 20, 30. Jos. XXX, 1. XXXII, 15. Ezech. XI, 5, 24. XXXVI, 27. XXXVII, 1, 14. XXXIX, 29. Dan IV, 6. V. 11, 14. Mich. II, 7. III, 8. Zach. XII, 12. Quæ loca conjunctim & pro emphasi sua considerata satis evidenter evincunt, SPIRITVM SANCTVM non esse attributum aliquod & affectum effectumque Dei, sed ipsam divinitatis hypostasim, & quidem tertiam in essentia divina unitate.

Quæ cum ita sint, quis dubitaret, dogma de sacrosancta Trinitatis mysterio, & in eo de divinitate SPIRITVS SANCTI, ecclesiæ Judaicæ, in quantum ea *τὸ ἕν* in Scripturis sacris fuit studiosior ac servantior, fuisse notissimum, & unum e præcipuis & maxime arduis? Atque ita mirum est, infastas Photini Socinique scholas hic in spissis hæreere tenebris, earumque sectatores tam luculentæ veritatis luci oculos suos adhuc hodie occludere. Immo dolendum est, inter ipsos etiam Evangelicæ ecclesiæ doctores haud defuisse, qui, etsi grandem istorum hominum errorem sunt detestati, existimarunt tamen, modo dictæ doctrinæ mysterium in veteris testamenti libris non ea revelatum esse evidentia, ut de

eo fidelibus istius oeconomiae clarius potuerit constare. Quid enim frequentius de divinarum hypostasium pluralitate, ad ternarium numerum in unitate essentiae restricta, dici potuisset?

Sed haec haecenus, CIVES omnium ordinum carissimi, de iis Scripturae V. T. oraculis, quae fidem nostram in veritate doctrinae Christianae de mysterio sanctae triados, & de natura SPIRITVS SANCTI divina & hypostatica, egregie confirmare possunt: & eo quidem magis, quo luculentius ac uberius hoc ipsum dogma in novi foederis tabulis adsertum est atque declaratum. E quibus, quid nostri sit officii, facile intelligimus. Quod si enim SPIRITVS SANCTVS est verus Deus, tertia divinae essentiae hypostasis, in salutis a Deo Patre nobis destinatae, & per Messiam partae, applicatione quam efficacissime occupata; ejus operatio ita admitenda a nobis est, ut interiori ejus disciplinae nos totos quam obsequenter permittamus. Permittimus vero, quando, e praeviente ipsius gratia, a varia vanae mentis distractione intra nos quasi collecti, revelatae doctrinae verbo, quod is non sine sanctis motibus animae nostrae insinuare solet, reverenter attendimus, ipsiusque afflatu excitati novam vitam, & cum hac novas vires, recipimus. Non enim, nisi hac via, e corruptissimo & exitiali dominantis naturae statu in statum regnumque gratiae transferimur. A qua qui abhorret, saltem sejunctus manet, haeret in Pelagianismo, qui quidam quasi naturalismus est; utpote ultra naturae corruptae vires, quae in mere spiritualibus nullae sunt, nec tendens, nec perveniens; atque ita uti spiritualis, sic aeternae etiam ac gloriosae salutis plane expers est atque manet. Quare, CIVES florentissimi, date operam salutis vestrae, in isto, quod Evangelium Christi commonstrat, commendatque, ordine amplectenda: & quidem uti per omnem vitam; sic imprimis in illa ejus particula brevissima, quae studiorum academicorum cursu absolvitur.

tur. In primis vero sollicitam ejus curam gerite in feriis
hiscæ, quæ memoriæ SPIRITVS SANCTI in Aposto-
los effusi sacræ, ideoque etiam Deo consecrandæ sunt. Ve-
strum est, si vestram ipsorum salutem amatis, cum debita sacro-
rum publicorum reverentia, in concionibus publicis cœlesti
doctrinæ attentas præbere aures mentesque, & locis, in qui-
bus præsentissimum, saltem certum, salutis, immo etiam bo-
næ famæ, naufragium sit, serio evitatis, privatim, aut ubicun-
que illa conscientia versamini, vacare sabbatismo sacro;
sabbatismo illi sanctæ cum Deo communionis; sabbatismo
animæ, sine quo æterni sabbati nemo particeps est fu-
turus. Halæ P. P. in ipso festo Pentecostes,
anno Domini MDCCXXV.



Ja 1586

ULB Halle

3


001 508 687



St


VD 78

VD 78



ACADEMIÆ
PROF
CHRISTIA
DICTUS
PHILOSOPHIÆ P
UNA CUM DIRECT
ET PROFESSOR
CIVIBUS
PIAM FESTI PENTECOSTE
RIO ET QUAM HUM

HALÆ MA
Typis JOH. CHRISTIA



6v.